MELETEMA THEOLOGICVM
QVO

# TYPVS POLYGAMIAE IN NOVO TESTAMENTO ABOLITVS

BREVITER DELINEATVR

*PRAESIDE*

GVSTAVO GEORGIO ZELTNER

D. P. P. ET P.

*AD DVBIA QVAEDAM EXPENDENDA SOLVENDAQVE*

A. R. S. MDCCXIX D. AVGVSTI

*DISPVTATIONIS MORE*

PROPOSITVM

A

M. IOANNE IGNATIO VOLLAND

POPPENR. NORICO.



---

LITERIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

# Q. D. B. V.

## §. I.



On ii ſumus, qui, quod *Hieronymus* de *Origene* pridem conqueſtus eſt, ingenii noſtri *meletemata* putemus eſſe Eccleſiae *Sacramenta*; ſed haud difficulter credimus, in jucundo, Scripturam divinam allegorice interpretandi, ſtudio, modum eſſe ponendum, certosque fines ſtatuendos. Veruntamen illud quoque negari haud poſſe exiſtimamus, non ſolum, ſi quid clare & vivide illic depictum eſt, ac ſingulare providentiæ Dei, non tam luſum, quam documentum oſtendit; dignum id eſſe, cujus tegatur velum, cortexque frangatur, &, quod intus latet, penitius inſpiciatur. Atque hæc quidem cauſa fuit, quare, poſt alia multa, de Polygamia, illaudabili pariter & laudabili induſtria, ultro citroque diſputata, breve ſpicilegium inſtituere animo conſtitueremus.

## §. II.

Ad quod ſuſcipiendum amplius nos movit, cum animadverteremus, in argumenti hujus ventilatione haud paucos, eosque cumprimis, qui Polygamiam, divino jure, hodieque licitam eſſe, male autumant, idque, incertum quo fine, operoſe tuentur, hoc potiſſimum ſcrupulo vexari, quod in Novi Fœderis tabulis nusquam conceptis ea, ut optant, verbis, perinde uti Repudium Matth. XIX, 7. ſqq., legatur prohibitum. Plerosque ſane in rationum, ex fundamentis, a Chriſto repudio oppoſitis, rectiſſime deductarum nexu, Poly-

gamiæ Patronos haudquaquam conquiescere videas; sed diserte magis eam, sive Christi, sive Apostolorum verbis, alicubi abolitam velle, haud obscure subinde postulari aut innui observes. Accedunt ad hæc, cum alia dubia, tum etiam ipsorum Theologorum dissensiones, quos jam pridem constat in partes abire, quotiescunque de singulari illa, Veteris Testamenti, in matrimoniis populi Dei, consuetudine sententiam ferre oportuit: aliosque pro *Dispensatione*, alios vero pro *tolerantia*, pravi (id enim uno ore omnes recte asserunt) ex origine prima moris ϗ ἀνόμου propugnare.

## §. III.

Quæ cum ita comparata sint, & a nobis animo altius exputarentur; hinc eo deducti sumus, ut aliam viam ingredi, alteriusque generis, nodum hunc solvendi, modum investigare placeret. *Permissionem* nempe meram nudamque, *in usum typicum conversam*, & *antitypo exhibito*, non solum antiquatam, quod aliorum typorum commune fatum erat, sed penitus *abolitam* atque e medio sublatam, primaque conjugii integritate restituta ex Ecclesia Christiana necessario & penitus eliminatam existimamus. Cujus rei breviter jam nobis incumbet reddere rationes, & obstacula deinceps, quæ videbuntur huic sententiæ adversa, e via removere, ac de reliquo nemini nostra hæc cogitata qualiacunque obtrudere; sed rationibus rite collatis ulterius expendenda & dijudicanda modeste proponere. Interim nobis ea consectari animus est, quæ, nisi omnino fallimur, ipsa Scriptura sacra vera aut certe verisimillima esse commonstrat: in quibus tantisper subsistemus, dum meliora non occurrent, aut fortiora in contrarium opponantur. Quo verbo tamen nolumus quenquam in arenam provocare, sed inquirentes tantum ad vestigandam veritatem exstimulare.

§. IV.

## §. IV.

Ad ſummam rei quod attinet, qua Typi cujuſdam rationem habuiſſe permiſſam Polygamiam affirmavimus: non diffitemur equidem, univerſe periculoſum eſſe, cauſas legum pariter ac factorum, immo & indulgentiæ Dei, expiſcari; præſertim, ubi ſapientiam arcanam profundiſſime latere & vere myſticam ſubeſſe, quam humana mens vix aſſequi poſſit, ex indiciis haud vulgaribus colligatur. Vt taceam melle etiam ſacro, monitore *Salomone* Prov. XXV, 27, non ultra ſatietatem veſci decere, &, quod de *Cocceji* diſcipulis dici ſolet, indecorum eſſe, ſi Scriptura non tam explicetur, quam, cum ſanguine elicito, emulgeatur. Quando vero, ipſo Spiritu Sancto luculentas ſignificationes præbente, Emblema nos aliquod divinum, raramque *imaginem Eccleſiæ Chriſti*, in Polygamia obſervaſſe commonſtraturi ſumus, haud ſane ejusdem vitii, vel *Alluſionum*, cum typis permiſtarum, ſtudii, reos nos agi poſſe arbitramur.

## §. V.

Heic ergo ab ipſo Spiritu divino clavem nobis tradi, ad recludendum id, quod ſub figura latebat, myſterium, ante omnia oſtenſuri, Paullum primo ad Epheſ. V, 32. conſulemus, qui non ſolum Matrimonium generatim μέγα μυστήριον eſſe εἰς Χριστὸν, καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν inquit, ac proinde typicum habuiſſe, inſtitutum pariter ac frequentatum, olim præcipue, uſum, docet; ſed etiam ad Gal. IV, 21. ſqq. *Conjugium Abrahami* cum *Sara* & *Hagar* geminum, h. e. notabilem Patriarchæ, ceteroquin ſancti, *Polygamiam*, ad ἀλληγορούμενα pertinere, longiusque per modum typi proſpicere, ex profeſſo demonſtravit. Ad quæ, ſi porro diligentiſſimam ejusdem Spiritus, quo ſancti ſcriptores loquuti ſunt, commemorationem, cum hujus tum aliorum, Polygamiæ, in quibus conjugium

illud *Iacobi monſtroſum* eminebat, exemplorum, revoces; ultro quaſi, ad cogitandum de Myſterio quodam & emblemate diviniori, nos provocari & invitari videas. Ne quid dicamus de *Davidis*, *Salomonis*, *Simſonis* & aliorum perſonis factisque, quæ ſine dubio typum Chriſti, & quæ ad Chriſtum ſpectant, gerebant. De quorum etiam conjugiis cum multa ſint inſolita ſacris monumentis prodita, quidni ea quoque huc referenda eſſe, ex prioribus jam ante poſitis fundamentis divinemus?

## §. VI.

Idem vero, quod de figura ac ſignificatione rerum ſublimiorum, in his conjugiis obvia, dictum eſt obſervari, tanto luculentius inde videtur amplius confirmari poſſe, quod, ut alia, ita præcipue ea matrimonia, ubi ſodales vivebant, cum uno marito, fœderatæ uxores, ratione etiam *gentis*, ex qua conjuges ortæ erant, valde memorabile diſcrimen ſiſtunt. Omittimus *Moſis* Midianitidem *Ziporam*: quam, duxiſſe eum, ægre ferebant Num. XII, 1. ſq. Miriam & Aaron, nec tamen ſine divino nutu id factum eſſe dubitamus. Similiter *ancilla Abrahami*, in ſocietatem tori aſſumta, quæ Paullo indice Iudaiſmi imaginem geſſit, ex Aegypto oriunda, eam gentis Iudaicæ repræſentabat conditionem, quam Deus ipſe Ezech. XVI, tot. exacte deſcripſit. Manifeſtiſſima nobis videtur *Salomonis* cum Aegyptiaci Regis filia, aliisque pluribus alienigenis, conſociatio, conjugii vinculo firmata, & 1. Reg. XI, 1. ſqq. commemorata. Vbi, quamvis nonnulli, haud eſſe intelligendas uxores, ſed Gynecæi, Orientalium more, ornamenta & miniſtras; non tamen dubium eſt, quin plurimæ concubinarum, h. e. uxorum ſecundi ordinis & ignobilioris ſortis officium obierint. Id enim nomina פילגשים & נשים comm. 3. omnino expoſcunt. Typum vero ſequentia monſtrabunt.

§. VII.

## §. VII.

Etenim sine omni ambage mysticum illud & illustre *Canticum Cantic.* id, quod ostendere instituimus, apertissime explanateque edisserit. Quippe in quo non tantum *unius* simul *& plurium*, diversæ conditionis uxorum, inter se comparatarum; Cap. VI, 5. 6. cumprimis, fit mentio; sed etiam N. T. statum nobiliusque conjugium hoc schemate depingi in confesso est. Quanquam enim conjugium Salomonis cum filia Regis Aegypti, quæ profana quorundam fuit sententia, in eo Cantico neutiquam delineari satis constat; tamen ad conjugium Salomonis aulæque statum, prout Rex ipse v. g. Psalm. LXXII, 1. sq. haud dubie eximium emblema Christi exhibebat, heic alludi, constipatisque figuris, tam rerum quam verborum, diviniora mysteria inde deduci, extra controversiam est positum. Inter quæ nobis in præsenti ad scopum, quem præfixum habemus, dilucidandum sufficit, & matrimonii Salomonis arcana, exinde quodammodo, a scrutantibus ea, intelligi posse, & concubinarum cum uxore primaria numerum in hunc quoque censum venire. Eumque sensum non obscurius apparere putamus, quando brevius quidem, sed haud paulo minus sublimi stylo, conjugium idem in Epithalamio sacro Ps. XLV. describitur; eademque adeo sententia & mysterii magnitudo amplius stabilitur. Immo tanto clarius, quod ostendere laboramus, ex eo patet, quanto evidentius forma orationis haud impari, & formula quoque haud dissimilis typi indice, filiæ Regum, & filiarum, cum comitatu numeroso, ad instar secundarii ordinis conjugum, comm. 10. & 15. meminit Spiritus Sanctus, eminentiamque *Messiæ*, qua *conjugium* simul & personam, ad Salomonis imaginem, singulariter conjugati, respiciendo, pro temporum istorum ratione, admodum magnifice celebrat. Cetera, quæ obscuriora alibi reperiuntur

exem-

exempla, ipſumque adeo *Davidis* illuſtriſſimum documentum, brevitatis ſtudio, dedita opera, ſilentio præterimus.

## §. VIII.

Cum ergo hujusmodi indicia hactenus eruta, typi, oppido quidem abſtruſi, at veri tamen munus, præſtitiſſe Polygamiam, ipſo Spiritu divino eo nos manu quaſi ducente (ut ſenſum myſticum eſſe pateat, non mere illatam allegoriam) exploratum habeamus: jam, quidnam illud ſit, quod ad modum antitypi, hac figura præſignificati, olim repræſentatum ſit, reali quaſi vaticinio & divino involucro, diſtincte, quoad licet, evolvendum erit. Neque vero id difficile putamus inveſtigatu, dummodo ad Conjugium ſpirituale & multo divinius, ipſumque illud myſterium, ad quod Paullus l. c. ad Epheſ. digitum intendit, & Hoſeas cap. II, 18. aliique Prophetæ, denique & Chriſtus ipſe aliquot parabolis, nos revocant, animum advertere non pigremur. Vbi profecto luce meridiana clarius erit, uxorem ejusmodi, Regi & Domino noſtro Ieſu Chriſto non unam, ſed plures *quodammodo* fuiſſe: alteram, ſub Vet. Teſt. decurſu, in matrimonium, ſingulari quadam œconomia, quam Leviticam vocant, & quæ Patriarchalem politiorem tantum exhibuit, aſſumtam, eamque Meſſiæ, qua naturam humanam, ſigillatim *popularem*: alteram *alienigenam*, & ex profanis gentibus novis quaſi conditionibus acceptam, ac fœdere arctiſſimo & amore flagrantiſſimo, poſt repudium, quod oppido memorabile eſt, priori datum, ſibi clementiſſime conjunctam. Hæc nobis videntur conjugiis illis nuptiisque admodum inſolitis, & toties, veluti notabili quodam charactere, a Spiritu S. non ſine cauſſa ſignatis, ad modum typi adumbrari. Ita tamen, ut Regulæ vulgares, omniumque calculis comprobatæ, hoc etiam in loco repetendæ ſint,

quibus,

quibus, *non promiscue omnia*, quæ sunt in typo observata, cunctasque actorum *circumstantias* ad τύπον Θεῦ, veluti *ad amussim* referenda esse, jam expeditum est: & porro, de natura ac proprietate antitypi, non divisim, ex unius emblematis ratione, sed ex *pluribus conjunctim*, judicium fieri oportere, constat.

## §. IX.

Reliquum est, ut, postquam de conjugio primario, & Typi pariter atque Antitypi ejusdem qualicunque congruentia, Spiritu S. duce, quid indigitatum sit, ostendimus, jam etiam, quid de concubinis ipsis uxoribusque secundariis habendum videatur, paucis indicemus. Has ergo non putamus Ecclesiam internam, fœdere, pressius sic dicto, spirituali, nexuque fidei & gratiæ salutaris Christo Regi suo sociatam, quæ *pro diversa gubernandi ratione gemina* fuit, *qua substantiam* vero salutis Evangelicæ revera *unica* est, denotare; sed Externam Verbi divini & Sacramentorum participatione fruentem societatem; pluresque adeo *cœtus particulares*, inter tot populos, in universo orbe *diffusos*, magis minusque puros, *conspicuam*, præterque consortium illud externorum, ad regenerationem destinatorum, Dei instrumentorum, uni veræ sanctæque Ecclesiæ invisibili, sua opera diversa, & *corporis* quasi *usura*, Christo inservientes adumbrare. Quorsum sane Cantici Salomonei singularia, de *una* instar columbæ, *dilectissima*, itemque ornatu *interiori*, Psalm. XLV. 14. commemorato, & ab externa conjunctione notabiliter distincto, prædicata & elogia pertinent. Quæ sine ea applicatione, ad Ecclesias, aut *gentes*, si malueris, plures *Christianas*, ex ipso complemento omnium optime petenda institutaque, vix alias commode intelligi queunt. In quam opinionem plurimi quoque *Cantici* divinissimi interpretes vel nolentes quodammodo ingressi sunt.

## §. X.

Sunt vero & alia quædam, quæ in conjugiis præcipue Patriarcharum, qua circumſtantias, non ſine gravi cauſſa, ad futura proſpectante, videntur locum habuiſſe. In quibus eminent, perſonarum in matrimonium ductarum, partim *liberarum*, partim *ſervarum*, conditio: itemque cognatio, ad conſanguinitatem vel affinitatem propius, quam divinis legibus, poſtea certe, indultum legitur, accedens: & quæ alia ſunt hujusmodi. Etenim, niſi omnia nos fallunt, prior perſonarum ſtatus, ſtatum quoque Eccleſiarum, gentiumque ad eccleſiam collectarum, a jugo ſervilis legis, hominumque conſtitutionibus, libertatem, qua beandæ ſint, & aliarum contra, legibus humanarum traditionum ſubjectarum, deſignabant. Cui typo Græcæ pariter & Latinæ, particulariumque in harum ambitu eccleſiarum, inde a ſaeculo quarto inchoata, & procedente tempore aucta, ceremoniarum faſtidioſa multitudo, cum neceſſitatis adjuncta perſuaſione, ex aſſe reſpondet: cum ex adverſo ſancta libertate, vel non recepto temere, vel excuſſo illo jugo, plures alii cœtus, & olim fruerentur diutiſſime, & hodie iterum fruantur quaſi poſtliminio. Quodſi vero ad genium populorum variorum Chriſto ſubditorum, & *regiminis externi modum* reſpici putes, per nos licet, ut ſuo quisque ſenſu, ubi divinatione opus eſt, abundet. De cognatione non eſſe obſcurum exiſtimamus, tum ad ipſius Chriſti, cum eccleſia ſua, præſertim Iudaica, conſanguinitatem, quorſum & Paulus myſterium hoc refert, eam referendam eſſe; tum pertinere ad populorum inter ſe cognationem, ex originibus gentium haud raro illuſtrandam. Atque hinc forte etiam, quare tot conjugia, ante leges contra inceſtum Lev. XVIII. & XX. latas, & priorem illam libertatem arctius adſtringentes,

tes, permissa sint, ratio probabilis reddi potest: quae aliunde, sive positivo jure universali, sive naturali talia prohibita esse matrimonia dixeris, difficilius repetitur.

§. XI.

Quæ si ita sint, jam tandem *caussa*, *ob quam Polygamia* in N. T., tam diu antehac permissa, indulta ac *tolerata*, imo, si malis, per dispensationem (ubi tamen desideramus divinam ejus rei significationem apertiorem) concessa, *abrogata sit* & sublata e medio, inveniri ac demonstrari poterit. Cum enim typi habuerit rationem, rerum in N. T. vere præstandarum & reapse exhibendarum, statusque Ecclesiæ, sub hac nova œconomia, catholicae & per orbem universum diffusæ, subsequuturi; præeunte Paullo ad Coloss. II, 17. & ad Hebr. VIII, 5. X, 1. sqq. &c., *præsente corpore*, Christo inquam ipso, & corpore ejus mystico, *umbra illa per se* cessavit & *evanuit*. Quo etiam factum est, ut peculiariter & ex professo de Polygamiæ hujus abrogatione, oppositoque interdicto, nusquam directo actum sit: partim quia nimis amplus longusque Scriptoribus N. T. compendia sectatis, ipsique Christo is fuisset labor, de singulis typis, ordine percensendis, ut aboliti sint, sigillatim & articulatim disserere: partim, ex *generali* umbrarum quarumvis, postquam corpus, seu eventus obscurius præmonstratus, jam adventaverat, antiquatione cum ipsis N. T. initiis locum habente, & satis clare indigitata, *de singulis*, nullo negotio, eodem prorsus modo sublatis, quisque, quod cognoscere necesse erat, efficere poterat. Quod innumeris sane demonstrari exemplis posset, nisi in re manifesta tempus terere vereremur. Atque id ipsum ad præsens etiam institutum satis est Spiritui Sancto visum. Qui tamen, quoties non gravatus est, fundamenta genuini matrimonii, ex prima institutione

deducta repetere & illustrare, simul, quæ fuerint indulgentiæ pristinæ rationes, & quibus legibus nunc vivendum sit, conjugiumque ineundum, & sanctissime servandum, velut ex abundanti, subinde indicavit. Immo jam in V. T., non quidem *Levit. XVIII*, 18. ( hoc enim toto capite de proprie sic dicta affinitate & consanguinitate, ut patris, matrisque & fratrum, ita sororum, vocabula huc pertinentia, intelligenda sunt) sed *Malach.* II, 14. sqq., ubi *unus ille* (האחד) semen Dei quærens, more Hebræorum numeralium, ordinalia etiam designantium, *primus* est homo Adamus, non obscure idem jam testificatum esse optimum Numen scimus.

## §. XII.

Sunt equidem nonnulla, quæ huic sententiæ nostræ, vel divinationi potius, obstare videantur, eaque haud spernenda, quæ nobis etiam ipsis, hac de re meditatis, *dubia* in mentem venerunt. Inter quæ sine omni dubio primarium videtur, quod ex *re mala*, & legi primæ seu institutioni, quæ, ratione modi certe, instar legis est, adversa, *typus* vel imago tam *sancti eventus* haud laudabiliter exstruatur: cujusmodi imago, in hoc, ut putemus, polygamiæ typo, Ecclesiam Christi in N.T. delineante, manifesto periculo haud careat, Christumque ipsum, non magis quam Ecclesiam, in plures cœtus externos divisam, deceat. Sed scrupulo huic removendo multa sunt, quæ suppetias ferunt, sine difficultate aut anxio inquirendi labore oblata. Nam, ut omittamus *peccata typica*, aliorum peccatorum figuras, de quibus a Celeb. *Buddeo* ex instituto actum est pluribus: non veremur, veri quoque nominis peccata, rerum etiam optimarum, in N. T. locum deinceps habentium, seu exhibitarum, typos fuisse & imagines, affirmare. Tum eo, quod typi & antitypi, prout jam ante dictum est, non per omnia

sibi

ſibi accurate ſemper reſpondent, ſed qualiscunque umbræ, imperfectionibus & nævis quoque ſuis de cetero laborantis, uſum præbent: tum vero etiam, quia circumſtantiarum ſæpe ratio habetur, & ſubſtantia ſuo loco relinquitur. Imo, niſi id admittatur, vix ullus, etiam in ſummo Sacerdote Veteris Teſtamenti, ipſo Spiritu S. teſte ad Hebr. V, 2. ſq. & VII, 27. peccatis commaculato, typus Chriſti admittendus eſſet.

## §. XIII.

Ea tamen ut luculentius conſpiciantur, alias prius nonnullas, quam typicas, quibus Spiritus divinus uſus eſt aliquoties, inveſtigabimus, expendendasque proponemus ſimilitudines, easque ad res diviniſſimas ſanctiſſimasque adhibitas eſſe deſignandas demonſtrabimus. Quid turpius eſt *Fure*, nocturno tempore alienas res invadente & ſurripiente? Nihilo tamen minus ſemel iterumque, v. g. I. Theſſ. V, 2. II. Petr. III, 10. Matth. XXIV, 33. Luc. XII, 39., adventum ſuum ad judicia certa (particularia aut univerſale perinde eſt) ſubitaneum Numen optimum cum ea imagine, per ſe fœdiſſima, comparare non dubitavit. Similiter frequentiſſimum eſt in orationibus, & ſchematico Chriſti, more Orientalium, docendi modo, ſemet ipſum Patremque ſuum ſanctiſſimum, ut *Fœneratorem* deſcribere, & ab uſuris inter Iudæos ſevere prohibitis, divini regiminis, divinæque providentiæ rationes, variorumque donorum diſtributorum & recte collocandorum modum delineare. Ita quidem, ut Iudex ipſe Matth. XXV, 26. *duri* Domini & *iniqui argentarii* non ſubterfugiat, aut declinarit accuſationem; ſed in applicatione juſti judicii, ea poſita, ſine contradictione, quodnam ſervi ignavi officium fuiſſet, ut commonſtret, pergat. Accedit ad hæc maxime memorabilis *impii* illius *Oeconomi*, qui Domini ſui bona diſſipaverat, Luc.

XVI, 8. ſqq. collaudatio: qua non tantum propter aſtutiam, per modum providentiæ, ad ἐυεργητὰς ſibi conciliandos adhibitam, ab Hero ſuo prædicatur; ſed omnibus etiam Chriſtianis ab ipſo Soſpitatore noſtro, tanquam exemplum, quod, eatenus certe, ad futura æternaque fata proſpectantes, & eo uſum rerum externarum inſtruentes imitentur, commendatur. Quibus ſolis, ſi vel maxime veterum typorum exempla nobis deeſſent, non indignum eſſe Deo, ex factis mortalium illaudabilibus, rerum ſacrarum emblemata præſtantiſſima ſanctiſſimaque petere, confici poſſet.

## §. XIV.

Sed præſto ſunt etiam illuſtriſſima verorum typorum, ab ipſo Spiritu S. indigitatorum monimenta, res ſanctiſſimas factis minime ſanctis delineantia. Certe in ipſo limine Scripturæ S. *Adamus Protoplaſtes*, idemque, non prima adhuc integritate, qua conditus erat, exſplendeſcens, ſed tanquã lapſus in iram divinam, & καἰάκριμα poſteris omnibus accerſens ac promeritus, ad Rom. V, 14. τύπ☉ τȣ̃ μέλλοντ☉, ejus nempe, ex quo uno δικαίωμα in omnes dimanat, conceptis verbis appellatur. Non ignoramus equidem, eſſe, qui exemplar typumque Adamum fuiſſe Chriſti, proprie ita dictum, negent: eo quod in ſtatu integritatis typo Chriſti locus non fuerit, in lapſu vero nimis diſparata ſint, Adami culpa mortisque pœna, & Chriſti juſtitia ac vitæ donum. Sed cum *Paullus* non veritus ſit, typum hunc nobis diſertis verbis, a quibus ad ſermonis figuram in ſtylo Epiſtolarum temere deflectere non licet, proponere, eo ipſo nomine inſignire, multisque explanare, ac ſimilitudinis rationem in ampliſſima *juſtitiæ* & *injuſtitiæ diffuſione* ponere: non eſt ſane, cur ab ea comparatione, certis limitibus jam comprehenſa, & in ipſo *culpa* atque *gratia collatis* poſita, abhorreamus. Nec dici ſatis poteſt, quam utilia, ſyncriſis illa Adami primi

& ſe-

& ſecundi, monita, & quam ſalubria πορίσματα ſuppeditet. Huic figuræ a Moſe nobis & Paullo deſcriptæ addenda eſt celebris illa *maleficorum ſuſpenſorum imago*, perquam luculenter ab eodem Apoſtolo ad Chriſtum applicata, ad Gal. III, 13. coll. Deut. XXI, 22. 23. Quamvis enim minus commode ad Chriſtum *Abſolonis* quercum, *Gretſerus*, tanquam typum, uti & ipſum Davidis illum immorigerum filium, retulerit; ſuſpenſionem tamen cum Chriſti morte expiatrice convenientiam habuiſſe, ſuſpenſosque illos facinoroſos aliquam ejus figuram repræſentaſſe, & quidem ex ipſa Spiritus S. intentione huc collineante, haud putamus obſcure, collato l. c. Paulli, effici poſſe.

## §. XV.

Præter hæc notiſſimum eſt, quantopere ſuper *Serpentibus venenatis*, illoque ex aere fuſo, atque a *Moſe*, Num. XXI, 8. 9. in ſolitudinibus Arabiæ, ex *erecta* pertica *ſuſpenſo*, diſputetur ab eruditiſſimis Theologis: quorum aliqui ſine tergiverſatione ſerpentem illum emblema fuiſſe ipſius Diaboli aſſerunt, animas hominum jam inde a Paradiſiaco aſſultu inficientis & lædentis. Alii vero, id affirmare quidem ſubveriti, hoc tamen non negant, Chriſtum ſalutiferum crucis ſupplicium pro nobis toleratum, imo ſe ipſum cum ſerpente illo, veneno olim ſuo præſentiſſimo nocente, Ioh. III, 14., tanquam cum typo contuliſſe. Unde tandem in eam opinionem nonnulli ingreſſi ſunt, ut in ipſa crucifixione Diabolum per Chriſtum crucifixum repræſentari, quatenus in cruce ſecundum Paullum ad Col. II, 15. Servator noſter hunc ſerpentem antiquum ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ θριαμβεύσας αὐτὸν ἐν αὐτῷ, exiſtimarint, eademque cum Gen. III, 16. & Hebr. II, 14. conferendo amplius roborari poſſe arbitrati ſint. Quæ nos aliis dijudicanda relinquimus. Vtcunque enim ea ſint,

jam

jam pluribus a celebratiſſimis Viris, *Burmanno*, *Witſio*, *Vitringa*, & *Mœbio* noſtro, ventilata, hactenus tamen ad noſtrum propoſitum faciunt, ut a rebus magnopere diſcrepantibus, imo aliquid vitii, ſive moralis ſive phyſici, continentibus, in typorum uſum convertendis, & ad ipſum Chriſtum referendis, non abhorruiſſe Spiritum S. appareat. Et cur, quæſo, ab illis abhorruerit, cum exploratum ſit & expeditum, *fœtidiſſima* animalia, dummodo eſſent ſecundum conditiones Leviticas pura, v. g. capros & hircos, ſupra fœtorem etiam *laſcivos*, nominatim ἀποπομπαῖον illum Levit. XVI., inſignem ac primariam piacularis ſacrificii Chriſti adumbrationem diu multumque præſtitiſſe Eccleſiæ. Quemadmodum & *Boves* Miniſtrorum Eccleſiæ I. Cor. IX, 9. & truculentiſſimæ *Beſtiæ* ſummarum poteſtatum imagines in Sacris paſſim occurrunt. Quorum neutrum, ſi quis ſcrupuloſus eſſe velit, ſatis *decorum* videatur. Sed faciamus, & hæc ad noſtrum ſcopum & temporum rationes non ſatis congruere: profecto de *Ionæ* typo, *præter Adamum*, nemo erit, qui ſcrupulum moveat: quia Chriſtus ipſe, v. g. Matth. XVI, 4. Luc. XI, 29. ſqq. reſurrectionem ſuam, cum triduo mortis, oppido dilucide ex hac una ſpectatiſſima imagine Iudæis cognoſcendam propoſuit. Enimvero *Ionam profugum*, & in re mala, moroſaque inobedientia, occupatum fuiſſe, cum in pelagus projiceretur *emendandus*, & a Charcharia ſeu Balæna abſorptus in triduum deliteſceret, prorſus liquet. At nihilominus *Chriſtus* hoc ſe typo, ſuamque ſimul *mortem*, cum ſepultura arcte *connexam*, perſpicue præſignificatam eſſe, non dubitat ſemel iterumque aſſeverare. Adderemus & *Simſonis* facinora, *Prophetarum* item acta plura, aliaque hujusmodi ab aliis notata emblemata; niſi prolixiores nos, quam propoſitum eſt, fore metueremus, & ſenſus typicos ab accommodationibus variis diſcernendos eſſe,

& ipſi

& ipſi agnoſceremus. Ea certe, quæ a nobis producta ſunt, exempla, ſufficere, arbitramur, poſſunt, quo minus in rebus, quæ non videbantur πρέπειν τῷ Θεῷ, typos ſacrarum rerum delituiſſe, atque ipſis adeo polygamiæ imaginibus, dubium hoc, quod objici poſſet, non obſtare, ambigi queat.

## §. XVI.

Quod ſupereſt, ne quis nove in hujusmodi typorum uſu nos luxuriari putet, aut indigna ſanctitate divina comminiſci, jam pridem ab ea ſententia non alienos fuiſſe etiam ſummos Eccleſiæ Doctores, vel tribus verbis monemus. Et, quanquam *Hieronymi* quoque atque *Gregorii M.* teſtimonia allegare poſſemus, quorum uterque: ***Homines malos, in re etiam non bona, ſanctiſſimarum rerum, atque adeo ipſius Dei typos eſſe poſſe,*** aſſeruit; ſolius tamen *Auguſtini* luculentam hac de re confeſſionem addemus: ***Ne quenquam***, inquit, & quidem cum Fauſto Manichæo diſputans (L. XXII. c. 83.) ***parvæ conſiderationis offendat, quod de quibusdam malis operibus hominum, in Scripturis ſanctis, quædam non mala, ſed bona futura ſignificantur. Servat enim ubique divina providentia virtutem bonitatis ſuæ, ut, quemadmodum ex adulterorum concubitu formatur & naſcitur homo, de hominum opere malo bonum opus Dei, ſicut in præcedenti ſermone jam diximus, de fecunditate ſeminum, non de turpitudine vitiorum: ita in Scripturis propheticis, non tantum bona hominum, verum etiam & mala facta narrantibus, quoniam prophetica eſt ipſa narratio, ſignificetur aliquid de malis operibus hominum etiam futurorum bonorum, non peccantis opere, ſed ſcribentis*** (deſtinatione & applicatione.)

Et p. p. *Ea hominum facta, sancto Spiritu disponente & inspirante, collegit Propheta narrator*, (Gen. XXXVIII, 16. Iudæ cum Thamar inceſtum referens: de cujus ſignificatione illic differit, ) *quorum interpoſitio non vacaret a præſignatione rerum, quas intenderat prophetare: ad ſignificanda autem aliqua, nihil intereſt, facta illa, quibus ea ſignificantur, ſeu bona ſeu mala ſint.* Ac denique concludit: *Hoc quod neceſſario proloquendum putavi, non ad hoc tantummodo Iudæ factum, ſed etiam ad cetera valeat, ſi qua occurrerunt mala opera hominum, quibus bonum aliquid a narrante prophetatum eſt.* Hactenus *Auguſtinus.* Quæ nos non ideo pluſcula in medium adducenda exiſtimavimus, quod ejus ſolius auctoritas rem conficiat; ſed ut noſtram *de typicis rerum optimarum peccatis* ſententiam tantorum in Eccleſia luminum adſtipulatione non deſtitui pateat. *Quibus* omnibus tamen, quod tacendum non eſt, *ne* quidem *opus* eſſe apparebit, *ſi* Polygamiam non ſolum toleratam, ſed divinitus ad eam ſingulari conſilio typico (non deſiderio Meſſiæ, quem noverant ex concubitu naturali haud naſciturum Patres) frequentandam *diſpenſatum* dixeris, atque hoc modo ipſa quoque *delicti ratio ceſſet.*

## §. XVII.

At enimvero tantum abeſt, ut polygamiam permiſſam non habuiſſe typi uſum, credamus, ut ipſum quoque *Repudium*, ſingulari indulgentia toleratum, ejusmodi myſterium altioris indaginis eſſe complexum, valde ſimus perſuaſi. Quodſi enim ex Veteri pariter & Novo Teſtamento abunde conſtat, matrimonii vinculum inter *Eccleſiam Iudaicam* Deumque fuiſſe arctiſſimum, perpetuisque hinc Prophetarum emblematibus

tibus

tibus celebratum, eamque vero tandem Ecclesiam, propter mores impios, & contemtum præsertim Messiæ, a fœdere illo arctiori (de quo Rom. IX, 4.) solutam abjectamque esse; quis dubitet, *spirituale* hoc *repudium*, tot exemplis, in eadem gente frequentatis, jam dudum fuisse adumbratum & identidem præfiguratum. Quam etiam ob rem non ante, quam tempora διορθώσεως (ad Hebr. IX, 10.) venirent, penitus legitur sublatum & abolitum. Hinc vero, si ea in Repudiis Iudaicis latebat figura, haud injuria, vel ex eventu prorsus congruente, & nexu intimo, polygamiam etiam huc esse revocandam, non sine specie veri maxima, a pari utriusque conditione concludimus. Sed non est, cur solo eventu nitamur in re valde ancipiti, cum perspicuis admodum *testificationibus Christi* ipsius, fulciri eam sententiam posse, certum sit; modo præjudicatis opinionibus missis, qua de caussa & *quo fine* Moses libellum repudii dare ἐπέτρεψεν Matth. XIX, 8. affirmetur, attenta mente reputemus.

## §. XVIII.

Nimirum, cum σκληροκαρδίαν diserte nominet Christus, & in hunc usque diem approbata ab omnibus invaluerit sententia, quasi, majoris mali evitandi gratia, & ne manus violentas uxoribus inferrent truces Iudæi καὶ πικροὶ, eam indulgentiam, difficilia tamen reddentem repudia, multisque ambagibus sapienter circumscribentem, concedere placuerit: hæc, a genio quidem Iudæorum, aspero morosoque, non esse aliena, putavimus; At scrupulus non unus animo nostro infixus mansit. Quem ut eximeremus, huc tandem descendimus diu cogitantes, ut *non* ad σκληροκαρδίαν *Iudæorum antiquorum* retrospexisse Christum censeremus, sed *eam*, *qua refra-*

*ctarii ipsum Servatorem & Apostolos male vexabant*, maximam profecto & ad summum fastigium impietatis perductam, progeniei vitiosioris, τῶν συγχρόνων scil. τοῦ Χριστοῦ, morositatem hoc loco innui, redderetur verisimilius. Ita, ut mens Liberatoris optimi haud ea sit: propter Majorum obstinationem animi repudia esse indulta, ne quid gravius designarent in thalami socias; sed *in respectu ad futuram*, quæ nunc implenda sit, gentis Iudaicæ Christo immorigeræ obluctationem, cum sequentibus pœnis, præsignificandam id esse factum. Vt adeo, quod sæpius consuevit facere optimus Pacificator, duos simul, quod ajunt, parietes dealbare voluerit, & rationem permissi repudii reddens, a periculoso magis, noxio, prioribusque tantum adumbrato, lugubri repudio, si perrexerint, sequuturo eos dehortando, simul avocare conatus sit.

## §. XIX.

Caussa vero & occasio, cur in hanc ingrederemur sententiam, prima nobis & princeps fuit, *ipsa loquendi formula*, qua usus est Sospitator sapientissimus. Neque enim διὰ τὴν σκληροκαρδίαν, tanquam rationem moventem, quæ jam olim, cum per Mosen lex promulgaretur, præsens fuerit, repudii potestatem ipsis esse factam ait; sed πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν (hanc certe præpositionem Matthæus cap. XIX, 8. & Marcus cap. X, 4. constanter retinent) spectando, id permissum fuisse inquit. Iam vero notum est, *Græcis* particulam πρὸς, cum quarto casu constructam, non temere impellentem caussam antecedentem & præsentem, at frequentissime respectum ad aliquid aliud, inprimis futurum, denotare, nec raro similitudinem, qua alterum alterius imaginem refert, aut hunc in finem certe eo refertur, exprimere. Ita Græcos τίνα πρὸς ἕτερον

σκοπεῖν

σκοπεῖν ἐξετάζειν, *aliquem cum alio componere*, ſeu comparare, dicere ſolitos: itemque, τὰ δὲ ἄλλα μικρὰ ἂν εἴη πρὸς ταῦτα, h. e. *reliqua vero perexigua ſint, ſi cum his conferantur*, Platonem dixiſſe, *Vigerus* & *Devarius* obſervant. Simili modo, πρὸς ἡδονὴν δημηγορεῖν καὶ ἐπαινεῖν: it. πρὸς τὸν σκοπὸν ἀπευθύνειν τὸ βέλος, *telum ad ſcopum dirigere*; denique πρὸς τί ταῦτα πολλά, i. e. *quorſum hæc tam multa ſpectant*, & quæ alibi occurrunt conſimilia, explicanda ſunt. Et quid pervulgatum magis eſt in *Ariſtotelis* Philoſophia, quam relativorum tritiſſima nomenclatura, qua vocabula πρός τι, h. e. *reſpectum ad alia* involventia, appellari ſolent: inter quæ *ſimilia* eſſe, *typos* & *figuras*, nemo ſane ignorat. In Novi vero Teſtamenti tabulis, uti alia plura diverſam relationem ad res futuras denotantia exempla leguntur, ita maxime nobis memorabile viſum eſt, quod Matth. XXVI, 12. fœmellæ illius, quæ Chriſtum paullo ante mortem perunxiſſe narratur, officium, πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι αὐτὸν, *ad pollincturam*, non certe ei præſtandam, (neque enim hucdum mortuus erat Servator,) ſed *præſignificandam* valere dicitur.

## §. XX.

Poſſemus etiam *Pronomen* urgere; quandoquidem Chriſtus non Patrum aut Majorum τῆς γενεᾶς corruptæ, cum qua ſermocinatur l. c., ut alibi plerumque conſueverat, meminit, ſed *ipſorum* (ὑμῶν, veſtram) σκληροκαρδίαν eſſe, ad quam Deus digitum intenderit, diſerte inquit. Quam etiam gravi oratione invectiva, & objurgatione animoſa, a patribus filios pejores diſtinguendo, Actor. VII, 51. reprehendit *Stephanus*. Sed nolumus hic diutius morari, & majoris eſſe momenti arbitramur, quod parum abſit, quin, ſi receptam ſententiam tuea-

 mur,

mur, in exoſam, haud injuria, *Spenceri* & *Marshami* hypotheſin, de imitatione morum pravorum, ab Iſraelitis ex Aegypto acceptorum, πολιτικῶς Deum ſe accommodaſſe, tranſeundum ſit, aut certe haud leve fulcimentum ei ex hac vulgari ſententia accedat. Quorſum etiam *alter* horum, quem conſuluimus, ſummo ſtudio provocavit. Cum enim ingenium moroſum, difficile, & propoſiti tenaciſſimum illi tribuant Hebræis, ex Aegypto præſertim egreſſis, atque hinc, quoniam Deo cum rudi populo, a ſuis ſeculique moribus cito facileque nulla machina dimovendo, res fuerit, eorum ritus, quos cum primo lacte inbiberant, paullulum caſtigatos, leni animo tuliſſe, &, quod *Euſebius* ait, *audientium moribus congruentem legem promulgaſſe*, docent: profecto non ovum ovo videtur eſſe ſimilius, quam hujus legis, de modo repudii, ipſiusque indulgentiæ generatim, ad σκληροκαρδίαν attemperatio. Illud igitur incommodum, ſi poſſimus effugere, certe ſatius erit, typicam ſignificationem præferre, quam periculum tantum perperam ſubire. Eamque cum & eventus triſtiſſimus abunde demonſtratam dederit, ſane, cur, cum diſcrimine, a via recta, Deoque in lege ſua alias trita, typorum ſcil. plena, deflectamus, cauſſæ nihil videmus. Suppetunt & alia quædam, his, quæ jam dicta ſunt, vel illuſtrationis gratia addenda, ſed quæ lubentes, deditaque opera, intacta prætermittimus.

## §. XXI.

Duo tantum reliqui ſunt, qui male fortaſſis L. B. habere poſſint, ſcrupuli. Alter in eo vertitur, quod, ſi *Repudium typi* officium obierit, *Chriſtum eo fuiſſe provocaturum*, cum tamen ad primam inſtitutionem Phariſæos ceterosque Iudæos revocaverit, credendum ſit. Alter, typicam haud fuiſſe polygamiam,

hinc

hinc videtur probabile reddere; quod hàc ratione, perinde, uti ceteros typos, antiquatam equidem, ſed eo tamen loco eaque conditione nunc eſſe conſequeretur, ut inter actiones *indifferentes* referri debeat. Non deſunt autem ad hæc objecta Reſponſiones. *Primum* enim nos prorſus non ferit dubium: quoniam ex noſtra potius ſententia liquet, Chriſtum utique typi myſterium Iudæis, & quidem, ut inquirerent, cauſſam pro effectu nominando, obſcuriuſcule, ceu ſolebat, propoſuiſſe, atque adeo huc omnino provocaſſe. Quod vero primam inſtitutionem ſimul allegavit, in cauſſa fuit id ipſum, de quo heic diſſeruimus, inſtitutum: quo non imperatum, nec omnino probatum, ſed permiſſum tantummodo, tametſi per ſe malum eſſet, Deoque diſplicens id fuiſſe, primario Chriſtus oſtendere voluerat. Atque hæc *ſecundò* eadem ratio eſt, quare & Polygamia ad eandem inſtitutionem, inviolabilis videlicet legis poteſtatem habentem, perpetuamque omnium conjugiorum normam, poſteaquam typicus ejus uſus exſpiravit, (ob quem ſimiliter nunquam approbata, ſed tolerata fuerat,) jam revocanda, & hoc præſertim ſanctitatis accuratioris, in Novo Teſtamento requiſitæ, tempore, non ſolum non amplius continuanda, ſed etiam, ceſſante cauſſa, & antitypo jam præſente, quaſi denuo prohibita, ipſaque tolerantia nunc quoque ſublata prorſus abolita ſit. Ceterum nihil h. l. aperte de ea Chriſtus definivit, quia hac de re *directo* & ex inſtituto *interrogatus non fuerat*: quid vero habendum ſit, tum fundamentis iiſdem, ad eandem legis univerſalis rationem, æque ac obligationem, illos revocantibus, clare ſatis innuit, & quæ reliqua erant, *ad communem typorum ſortem in N. T. ſubeundam rejecit.* Cujus rei haud contemnendum eſt indicium, quod, cum cetera vaſtæ iſtius Moſaicæ ſtructuræ, h. e. œconomiæ Leviticæ umbratilis,

bratilis, rudera, post destructionem a Domino & Marito Ecclesiæ Novi Fœderis susceptam perfectamque, aliquantisper adhuc usurparentur libere, usque dum templo Ecclesiæ Christianæ novo constructo, reliquiæ illæ (quæ vulgo Synagoga, exauctorata videlicet, dicuntur) sepelirentur; Polygamiæ contra & Repudii, inter Christianos sinceros, porro toleratorum nec vola nec vestigium a primis statim initiis occurrit. Ac proinde vel hinc apparet, eas consuetudines, *sive per dispensationem* concessas, (quæ facilior est, sed obscurius ex V. T. deducta dubiorum & typorum explicatio) *sive per tolerantiam meramque permissionem*, ad finem nobiliorem divinitus directam, (quæ pronior cuncta conciliandi via) non pari, quo ceremonias, loco ac sorte censendas, *sed prorsus abolitas*, & sub adventum Sponsi, ad nuptias cum Eccl. N. T. spirituales, repudiumque Iudaicæ, ut præcognitum erat, Vxori dandum, illico ad primam Institutionis Legem stricte observandam a Christo revocatas esse. Quam etiam ob rem de Conjugio ex instituto differens Paullus nihil omnino, nisi per consequentiam, *de Polygamia* interrogantibus scripsit, sed ad *Domini* sui decreta eosdem, perinde uti de divortio, propter adulterium, videtur remisisse. Cetera, quæ ex notissimis locis Matth. XIX, 3. sqq. I. Cor. VII, 3. sq. & I. Tim. III, 2. (ubi cum ceteris vitiis hominem ἐπίληπτον reddentibus, cujusmodi sunt incontinentia, ebrietas, rixarum studium, & similia, polygamia quoque connumeratur) passim uberius docentur, & ab aliis jam copiose disputata sunt, repetere heic nolumus, sed nostram qualemcunque laciniam attextam æquissimo L. B. judicio iterum iterumque commendantes, huic Dissertatiunculæ, *scrutanti magis veritatem quam definienti*, finem imponimus.

